

Klein
1833



Kern 1833



EXAMEN
DOCTRINAE CVLLENIANAE
DE
NATVRA MORBORVM
ARTHRITICORVM

ILLVSTRIS AC GRATIOSI ORDINIS
MEDICI AVCTORITATE ET
CONSENSV

P R A E S I D E
D. JOANN. FRID. GOTTL.
GOLDHAGEN

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE
NATVRAE PROFESSORE PVBLICO ORDINA-
RIO, CIRCVLI SALICI, COMITATVS MANS-
FELDENSIS ET CIVITATIS HALENSIS
PHYSICO

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE
SOLEMNITER CONSEQVENDO
AD, DIEM IV^{tum} MENSIS SEPT. c1o1o cclxxxvi.
PVBLICE DEFENDET

JOANNES SAMVEL LVTHER

VRATISLAVIA SILESIVS.

H A L A E,
TYPIS CVRTIANIS.

EXAMEN
DOCTRINAE CHIRURGICAE
IN
MATERIA MORBORUM
ARTHRITICORUM

LECTURIS AC ORATIONIBUS
MEDICAE ET CHIRURGICAE
COMPLETIS

PER
D. JOHANN. FRID. GOLL.
GOLDBACH.

PROFESSORIS CHIRURGICAE ET HISTORIAE
NATURALIS UNIVERSITATIS
MAGISTRI JOHANNIS GOTTFRIDII
MAGISTRI DE WITTEBERG

GRADU DOCTORIS MEDICAE
AD PRAESENTANDUM
SUISSIS

JOHANNES KARL LUTHER
MAGISTRI

HALLE
1772



PATRI OPTIMO

OMNI QVA PAR EST PIETATE AD CINERES
VSQVE
COLENDO

IN
GRATISSIMI DEVINCTISSIMIQVE
ANIMI

AC
SVMMAE VENERATIONIS MONVMENTVM

HAS STVDII MEDICI PRIMITIAS
PIA ET DEVOTA MENTE

OFFERT

A V C T O R.

PARIS-ORLÉANS

OMNI GRATIA ET BENEDICTIONE

1774

CONDICIO

IN

CAUSIS RECURSIVIS

1774

AS

SVMMAE VERTUTIS OMNIS NOMINANTIA

HAEC RECURSIVIS RECURSIVIS


RECURSIVIS RECURSIVIS

1774

AVCTOR

ti
na
al
m
de





Praefatio.

Quantquam Culleni *) de morbis arthriticis theoria multis practicis observationibus superstructa eamque ob causam naturae respondere satis videatur, tamen aliquot mihi occurrerunt momenta, quae minus cum experientia consentire posse videntur. Praecipue autem in eo a vera natura

*) Inseruit Cullen hunc tractatum libro cui titulus est, W. Cullens Anfangsgründe der practischen Arzneywissenschaft, 1. Theil, 1784. 8.

tura morborum arthriticorum notione recedere mihi visus est Cullen, quod arthriticos morbos a specifica materia deriuandos esse rejicit. Consultum itaque duxi dissertationem inauguralem elaboraturus doctrinam Culleni de natura arthritidis proponere, intimius in eam inquirere et argumenta quae contra materiae arthriticae praesentiam proponit, quantum per vires liceat refutare.

Sectio

Sectio I.

§. I.

Est autem, ex mente Culleni arthritis et podagra morbus, qui a parentibus ad liberos transplantari solet, cujus paroxysmi sine externa manifesta causa oriuntur; quem autem saepius nonnulli insoliti ventriculi affectus praecedunt. Combinatur cum febre et manuum vel pedum articulos dolor periodicus corripit, qui a nonnullis primarum virium aliarumque internarum partium affectibus excipitur eosque vice versa excipit.

§. II.

Hujus mali articularis originem sequenti modo Cullen explicat. Sunt nonnulla subjecta robustae et plethoricae constitutionis; cum hoc statu est ad certum tempus conjuncta toni debilitas ad omnes partes se extendens praecipue autem ad ventriculi functiones. Praesente hac virium digerentium jactura simul autem adhuc superflite neruorum robore a natura febris accenditur pedum aut manuum articulos inflammans, si arthritis regularem decursum obseruat. Inflammatione orta omnia symptomata leniuntur atque tonus deperditus restituitur. *) Fit autem nonnunquam, vt alia ratione effectus suos arthritis exerat,

A 2

atque

*) Conferat. Cull. I. c. §. 496.



atque tunc irregularis nuncupatur. *) Hac autem comprehendit Cullen omnia symptomata cum dispositione corporis ad inflammandum articulos conjuncta absente tamen vera articulorum inflammatione. **) Interdum enim insignis quidem adest in corpore dispositio arthritica, quae vero ob praesentiam aliarum caussarum ***) articulos non inflammat, sed affectus ventriculi et hypochondriacos producit. †) Quapropter eam arthritidem atonicam dicit. Interdum inflammatio articulorum ob tonum partis affectae aut totius corporis externis vel internis caussis adeo debilitatum, ut inflammatio tantam perfectionem consequi nequeat, quanta ad tonum corporis restituendum est necessaria, subito cessat, et exinde arthritidis ad partes internas retrocedit, ibique e diversitate partium diversa symptomata efficit. ††) Quod si fit arthritidis retrogressa locum habet. Interdum vero quidem inflammatio atoniam sequitur, non autem in articulis est conspicua, sed in parte quadam interna sese exerit. †††)

§. III.

Hanc doctrinam sequentibus praecipue superstruxit momentis ex morbi historia repetitis.

Primo

*) Conf. Cull. I. c. §. 497.

**) Conf. Cull. I. c. §. 481.

***) Sub his caussis sine dubio Cullen intelligit laxitatem et debilitatem partium solidarum vel haereditate ortam vel nimis delicata educatione productam.

†) Cull. I. c. §. 483. 497.

††) ibid. I. c. §. 485. 498.

†††) ibid. §. 486. 499.



Primo *) nempe arthritidem dicit morbum totius corporis, qui a certa constitutione corporis pendeat; cumque haec constitutio praecipue a conditione virium mouentium proueniat in his etiam morbi causam praecipue ponendam opinatur.

Secundo **) arthritidem dicit morbum systematis nervosi, in quo primae vires motrices continentur, indeque plurima morbi symptomata posse ex systematis nervosi legibus explicari putat.

Tandem ***) cum frequentissime ventriculus hoc in morbo afficiatur, certum putat aequilibrium locum habere inter partes externas et internas, unde variae hujus morbi mutationes deriuandae sint.

Non dubitari potest, quin haec a Culleno enumerata momenta ad producendum morbum arthriticum faciant; attamen non totam rem absoluunt, sed videtur ad id, quod hoc in statu praeter naturale est, etiam pertinere mutata humorum conditio, quam solidorum constitutionem modo praecedere, modo comitari, modo sequi ex sequenti patebit originis hujus morbi historia.

Priusquam vero ad expositionem ortus hujus morbi progrediar, silentio praeterire nequeo, inflammationem articularum, ex mente Culleni praecipuum symptoma paroxysmi arthritici aut podagrici constituentem, mihi neque videri esse veram inflammationem.

*) Cull. l. c. §. 493.

**) ibid. §. 494.

***) ibid. §. 495.



flammationem, neque ad tollendum paroxysmum sufficere, cum, ut e sequentibus elucescit excretio materiae arthriticae ad eum tollendum ut accedat, necesse esse. Tantummodo initio inflammatorius hic status articularum cum vera inflammatione convenit, respectu solutionis vero toto coelo ab eo discrepat, cum symptomata arthritica remittunt et exacerbantur. Porro, si vera adesset inflammatio, acidorum usus ad sanandam arthritidem multum conferret, sed eum nocere, immo ad arthritidem producendam conferre, observationes omnis aevi medicorum eruditissimorum accuratae satis superque docent. Ut autem paucis complectar, modus, quo Cullen naturam morborum arthriticorum explicat, est angustior suo definito; inflammatoria enim conditio articularum non praesens est in omni arthritide, materia vero arthritica ad omnes arthritidis classes quadrat.

§. IV.

Si accuratius originem et naturam morborum arthriticorum inuestigemur inuenimus, in arthritide tum mixtionem fluidorum tum organorum conditionem maximopere esse mutatam. Arthritis enim est morbus chronicus pertinetque ad id chronicorum morborum genus, quod non a vitiata acutorum morborum tractatione, sed a maxime remota in corpore jam diu ante morbi eruptionem latente neque notabilibus effectibus sese manifestante causa est deriuandum. Neglecta autem hujus causae remotione tota in aegroto constitutio sensim pedetentim-

tentimque degenerat. *) Potest igitur hoc modo generari dispositio ad arthritidem in corpore alias etiam sanissimo. Tali modo autem mutata corporis dispositione, si quis sobolem producit, fieri potest, vt haec ad foetum transferatur, talique modo, licet morbus ipse nondum erupuerit, haereditaria labes transeat, quae accedentibus causis occasionalibus, eo facilius tunc potest ipsum morbum prouocare. Haec esse ratio videtur, cur interdum, etiamsi parens arthritide laborauerit, tamen liberi morbo quo pater laborauit non corripiantur, sed morbus in nepote demum vim suam exerat.

§. V.

Dispositio arthritica pertinet ad constitutionem corporis atrabiliarium quam veteres medici sub atrabile intellexerunt. **) Operae itaque pretium esse duxi expositionem hujus materiae suscipere, atque in ejus tractatione paullulum commorari. Talis autem constitutio humores et solida adeo mutare solet, vt in fluidis oriatur praeternaturalis materia, quae pro diuersitate partium, quas afficit, et pro diuersitate constitutionis corporis diuersos effectus diuersaque symptomata edit. Hinc fit vt delata materia atrabiliaria ad pectus delata peripneumoniam notham, ad vasa haimorrhoidalialia translocata, haimorrhoides in abdomen deposita, diarrhoeam et ad articulos mi-
grans

*) Confer. Grants Beobachtungen über die chronischen Krankheiten, Erster Band, von der Gicht oder dem Podagra. p. 5.

**) Conf. Grant, l. c. p. 78.



grans arthritidem, podagrām, chiragram, gona-gram pro diuersitate affectorum artuum producat. Sunt quoque his diuersis atrabiliariorum morborum generibus varia symptomata communia, quoniam ex eodem fonte oriuntur, alia autem cuilibet generi propria, quibus ab reliquis distinguuntur. Patet etiam cognatio morborum atrabiliariorum ex eo, quod modo plures horum morborum simul locum habeant, modo alter alterum excipiat. *)

§. VI.

Vt autem eo melius originem morborum ex atrabiliario temperamento deriuandorum expiscari possimus, de rebus atrae bilii fauentibus corporisque humores et solidas partes adeo mutantibus, nunc agendum est. Corpus iuuenile quam diu crescit, tam ad sui conseruationem, quam ad incrementum capiendum cibus et potulentis vitur. Horum alimentorum quantitas rationem habet partim ad ipsum incrementi gradum, partim ad vires partium solidarum humores continentium in eosque agentium, ita vt ad conseruandam sanitatem certo aequilibrio opus sit inter copiam nutrimentorum et incrementum ac nutritionem corporis. Eo autem gravitas ejus augeatur, et respectu proportionis magnitudinis in ejusmodi subjecto, siquidem multo victu vitur, tamen digestio ejus nequaquam turbatur. Si vero in capiendis cibus modum, qui ob proportionem magnitudinis suae et virium obseruandus esset, excedit, tunc humores

*) Conf. Grant. l. c. p. 117.



mores necessario abundant, et cum solidae partes ad eos sustinendos et elaborandos sint impares, varii exinde affectus morborum oriuntur. Quod si igitur summum incrementum attigerit homo, tantum ipsi sufficiet ciborum et potulentorum, quantum ad restitutionem deperditarum partium requiritur. Sequitur exinde, inter qualitatem quantitatemque ciborum, inter vires concoctrices, et inter laborum motusque frequentiam ac durationem locum habere aequilibrium ad conseruandam sanitatem necessarium. Ponamus jam hominem respectu quantitatis ciborum modum excedere, corpus autem neque fortius neque diutius neque frequentius solito exercere aut remittente corporis exercitio aequali vt antea consueuerat ciborum quantitate frui: vtique aequilibrio sublato abundantia humorum et augmentum ponderis oriatur oportet, quae omnia, dum digestionem turbant, corpori molestias parant illudque ad varios morbos disponunt. Hinc etiam rustici, venatores, milites et vt vno verbo complectar omnes qui exercitatum vitam cum otiosa sedentaria commutant, et tamen vt antea solebant partim magna copia ciborum partim duris digestuque difficilibus cibus vesci pergunt, obefiores fiunt simulque degeneratam fluidorum mixtionem nanciscuntur superstite tamen aliquali corporis robore respectu aliorum ad arthritidem dispositorum qui laxioris sunt compaginis. *) Praeterea obseruationes et principia pathologica docent aëre spissiore et humido, carniū et spirituosorum nimio vsu, otioso

*) Vid. Sydenham Opp. Med. Gen. 1769. T. I. p. 308.
van Swieten Comment. in Aphorismos Boerhauii, Lugdun.
Bat. 1764. T. IV. p. 197.



otioso vitae genere, coitu immoderato, meditatione nimia, lucubrationibus, animi pathematibus corpus maximopere debilitari atque vitari humores; vnde autem initio nulli manifesti effectus obseruantur. Crescunt tamen omnes hi affectus interni occulto velut arbor aevo, firmitatem solidorum magis magisque destruunt, secretiones et excretiones praecipue in minimis vasis turbant, supprimunt eaque obstruunt, praeternaturales humores formant, *) qui materiam arthriticam vel podagricam constituentes cum sanguine et reliquis humoribus per vasa circulant insensibiles, tandem vero vel augentur, vel alia causa accedente vel ob acredinem, quam interdum ob moram nanciscuntur, effectus manifestos exerunt febreque producunt. Haec febris ex mente principum medicorum, qui de arthritide egerunt, quos inter instar omnium est Sydenhamus, pertinet ad remittentes **) materiamque arthriticam coquit, tunc fit per metastasin materiae arthriticae ad articulos crisis, quae initio cum vera phlegmone consentit, sed solutione ab ea differt et periodicum decursum obseruat. Simul autem natura crisin per urinae sabulosaef, nec non bene coctarum copiosarum pultacearumque faecum aluinarum et sudoris salutaris excretionem molitur. ***) Si vero subjecta quae arthritidi exponuntur, natura non sunt robusta, sed laxiora, debiliora, teneriora, ideoque paroxysmi arthritici neque adeo sunt vehementes, neque facile materia arthritica ob
nimiam

*) Vid. van Swiet. l. c. p. 300.

**) Vid. Syd. l. c. p. 303.

***) Conf. Syd. l. c. p. 303. 304.



nimiam solidorum debilitatem per articulos excernitur: tunc ad internas partes materia transuolat et ibi diuersa symptomata producit. Si vero non nunquam quidem materia ad articulos transmigrat, sed vel vitiiis diaetae vel mala medendi methodo excretio ejus per articulos impeditur: tunc retrocedere ad internas partes ibique maxime periculosa symptomata inducere solet.

§. VII.

De natura materiae arthriticae valde inter se differunt medici, aliquam autem eam adesse in humoribus corporis humani obuiam, conueniunt fere omnes. Nec poterit sane aliquis de illa dubitare, qui modum considerauerit, quo generatur arthritidis, pluraque symptomata veram humorum alterationem demonstrantia.

Sectio



Sectio II.

§. I.

Veniendum nunc est ad argumenta Culleni, qui in inueterata quidem arthritide materiam calcaream formari posse non dubitat, *) ejus vero praesentiam ante eruptionem arthritidis et primo tempore quo homo arthriticis morbis est obnoxius, penitus rejicit et ab ea deriuari posse arthritidem plane fere negat.

§. II.

Deriuat autem argumenta Cullen **)

- I. ex eo, quod nullum exstet clarum et euidens indicium ejusmodi materiae nocentis in subjectis ad arthritidem dispositis, cum neque sanguis aliusue humor arthriticorum a sanguine alioue humore arthritide non laborantium differat; neque ante paroxysmi arthritici eruptionem vllum sese manifestet signum praeternaturalis aut morbosae humorum constitutionis,
- II. ex tanta farragine hypothesium de arthriticae materiae natura, vnde concludi possit nullam earum posse argumentis certis demonstrari; quibus accedat dissensus multarum harum hypothesium cum omnibus chemicis principiis et legibus oeconomiae animalis,

III.

*) Conf. Cullen I. c. §. 479.

**) Vid. Cull. I. c. §. 492. 493. 494. 495.



- III. e diffensu peculiaris materiae arthriticae cum phaenomenis arthriticis in genere et praesertim cum frequenti et subitaneo transitu hujus morbi ex vna parte in alteram,
- IV. e diuersis materiae arthriticae in diuersis quas afficit partibus effectibus, ita vt in articulis vim stimulantem exerat eosque inflammet, ventriculum autem debilitet ejusque robur diminuatur,
- V. ex eo, quod nonnulli effectus, ex quibus praesentia materiae arthriticae demonstrari solet, ex gr. contagiosa ejus natura, non sint sufficienti experientia confirmati,
- VI. ex erronea demonstratione ab hujus morbi haereditaria indole petita,
- VII. ex eo, quod hypothesis de materia arthritica adhuc dum fuerit inutilis respectu methodi medendi,
- VIII. ex eo, quod superfluum sit neque necessarium, originem arthritidis specificae materiae attribuere, tum, quia haec hypothesis nihil explicet, nisi simul statuatur hanc materiam mutare vires et organa quibus motus in corpore fiunt; cum, quia etiam sine illa origo hujus morbi possit explicari modo qui magis consentiat cum symptomatibus arthriticis, cum legibus oeconomiae animalis et cum medendi methodo, cujus efficacitatem jamjam confirmauerit experientia.

§. III.



§. III.

Contra primum Culleni argumentum plura proferri possunt momenta, quae mutationem humorum praeternaturalem probare videntur. Quorsum primo pertinet indoles materiae post paroxysmum in parte affecta excretae ab excretionibus naturalibus satis diuersae. Sydenham, *) Hoffmann, Boerhaue ejusque commentator van Swieren **) aliique medici eruditi accuratique obseruatores docuerunt, materiae specificae excretionem per sudorem partis affectae paroxysmum tolli. Eam autem materiam esse morbosae indolis patet ex leuamine dolorum post excretam materiam, ex olido foetore sudoris etiam in illis, qui corporis nitiditati conseruandae student, ex eo quod sudor ille ita sit comparatus, vt argentum obfuscet. Spectat huc exemplum, quod refert Hoffmann ***) de podagrigo, qui paroxysmum imminentem praesentire solebat ex colore annuli, quem digito gerebat, ex mercurio mediante venere et tutia confecti in liuidum et nigrum mutato pristinum vero colorem sub declinatione paroxysmi recuperantis.

§. IV.

Pertinet huc porro leuamen, quod ab excretionem materiae nocentis percipiunt arthritici, et morbi incrementum ex hujus materiae retentione. Hinc
utilitas

*) l. c. p. 303.

**) l. c. p. 321.

***) in Med. rat. et syst. T. IV. Pt. II, Sect. II. Cap. II. pag. 507.



utilitas lecti fuentis, diluentium, emollientium laxantiumque remediorum. Hinc transpiratio suppressa ad causas remotas morbi articularis pertinet, ubi ante paroxysmum pedes refrigerium patiuntur. *) Quaeritur autem, an per eam materia arthritica eliminatur? Exempla utique prostant, et a celeberrimo Murray ex observationibus Pechlini, Kerkringii et Plateri referuntur. Inde utilis frigoris euitatio, quam ipse Cullen praecipit, ne retenta materia arthritica humores inquinet grauioremque morbum reddat. Eodem igitur jure singularis indoles concedi potest materiae arthriticae ac tribuitur catarrhali materiae, quae pari modo per sudorem aut alio modo euacuatur, quaeque dum retinetur, simili ratione nocuos producit effectus.

§. V.

Aliud argumentum constituunt mirae materiae arthriticae metastases obseruatae ab ingenuis et insignibus medicis. Huc pertinet tumor in articulis nascens, ubi materia, quae antea cum humoribus circulabat, nullamque efficacitatem manifestam exerebat, quacunque causa ad articulos transmigrat. **) Huc pertinent etiam exanthemata praecipue miliaria, quibus fuit sublata arthritis.

§. VI.

Magna autem consideratione digna est inter metastases arthriticae materiae facilis dispositio arthritidis

*) Vid. van Swiet. I. c. p. 302. 297. 298.

**) Vid. van Swiet. I. c. p. 322.



tidis ad formandos calculos renales et vesicales, facillisque calculosorum affectuum transitus in arthritidem, *) vnde materiae cujusdam praesentia extra omne dubium poni videtur.

§. VII.

Obseruarunt hoc Robinsonius vesicae calculum arthritidem vesicae nuncupans, Bagliuius, Beverouiccus, Teichmeyer et Camperus. Confirmant etiam hanc veritatem historiae, quas Musgrae insignis sane hac in re auctoritatis de hac metastasi proposuit. Sydenhamus tanto cum acumine cognationem arthriticorum calculosorumque affectuum obseruauit et perspexit, vt quandoque, cum in arthriticis subjectis vrinae excretio impediretur, eorum mortem praesagiret. **)

§. VIII.

Demonstrat vero cognationem arthritidis et calculosorum affectuum vtriusque mali natura haereditaria. Paret ea partim ex obseruationibus, quas collegerunt van Swieten et Sydenham, partim ex eo, quod hi morbi naturam aliorum morborum haereditariorum obseruauerint, ita vt interdum filio quidem parcerent, sed nepotem affligerent. Hoc etiam respicit ad mutuam horum morborum commutationem, cuius

*) Conf. Murray Opusc. T. I. Comment. IV.

**) Vid. Murray l. c. p. 190.



cujus rei maxime dignum memoratu exemplum proponit Werlhoff. *)

§. IX.

Caussae etiam manifestae vtriusque mali mirifice inter se consentiunt. **) Cujus loci sunt primo caussae, quae digestionem turbant, ad quorum numerum referuntur victus lautior ciborum potulentorumque copia, varietas, cibi digestu difficiles, spirituosorum nimius usus, immodicus coitus, otiosum vitae genus, nimia animi exercitatio, animi pathemata.

Deinde huc pertinent caussae quae materiam terream a vinculis suis in corpore humano soluunt, quod acidis perficitur tam vegetabilibus quam mineralibus. Veritatem hanc demonstrant utilitas remedium alcalinorum praecipue causticorum, arthritidis sanatae post haustum vinum acidum reditus, praecipua incolarum ad septentrionalem Franciae regionem tenue, acidum pallidumque vinum bibentium dispositio ad calculum et arthritidem, sublatus vel saltem lenitus arthriticus affectus, ubi homines vino indulgentes ipsi valedicunt, tandem chemica experimenta Halesii, quae docuerunt calculos humanos tophos podagricos et tartarum vini esse ejusdem indolis. Huc etiam spectare videtur salutaris vomitus acidus

*) Conf. Murr. l. c. p. 193. 194.

**) Conf. Murr. l. c. p. 195. 196. 197. 198.





us a Pye *) obseruatus et fames intensior in arthritide breui tempore ante paroxysmum.

Denique huc pertinent caussae, quae corporis partes effoetas nociuas et excrementitias intra corpus retardant, vnde ex mora coalescunt. Multum huc confert refrigerium, transpiratio suppressa, exercitii corporis neglectus. Eo enim impeditur subactio et resolutio ingestorum, quoniam vires ventriculi et menstruorum admiscendorum efficacia languent. Remotio inertium particularum terrearum per vias excretorias, quoniam vis cordis est debilitata, maxime eo impeditur, adeo vt stagnare et coalescere incipiant. Vis autem neglecti motus corporis in efficiendo calculo ex eo etiam patet, quod ex decubitu supino diuturniori, qui magis quam lateralis sedimentum lotii retardet, in hominibus ad calculum alias non dispositis, facile calculus oritur.

§. X.

Postea obseruationes docuerunt, non solum subiecta quaedam vno eodemque tempore laborasse arthritide et calculo, quorum exempla proponunt Musgrae **) et Coste, ***) sed etiam alterum morbum in alterum mutari, ita vt plerumque non salu-

*) Vid. Medicinische Bemerkungen vnd Vntersuchungen einer Gesellschaft von Aerzten in London, Erster Band, aus dem Englischen nach der zweyten verbesserten Ausgabe überserzet, Altenburg 1759. p. 38 — 46.

**) Conf. Opp. Sydenh. T. II. Musgrae de arthritide anomala C. IX. Hist. I. p. 77. 78.

***) Conf. Murray l. c. p. 197.



salutares effectus oriantur, interdum vero, sed rarius arthritici calculo orto et sensim cum vrina eliminato ab utroque conualescant. Solet autem tunc vrina mucosa, qualis est vrina calculosorum, purulenta quasi cretacea, sabulosa, calculosa excerni. *)

§. XI.

In multis subjectis nondum inueterata nodosque in articulis formante arthritide, sed maturius jamjam et dum vaga adhuc in corpore oberrat, calculus oritur. Demonstrant hoc tam juncti jam initio cruciatus, quam alterni; quies protracta et de cubitus diurnus in dorsum, cui ob doloris sub motu incrementum, arthritici adstringuntur et mora lotii in renibus ob inertiam musculorum renibus contiguum. **)

§. XII.

Abundantia terrae calcariae in humoribus arthriticorum observata ***) non parum confert ad confirmandam affinitatem inter arthritidem et calculos renales et vesicales. Vere autem terram calcaream in humoribus ejusmodi subjectorum abundauisse patet luculenter ex calculosis in pulmonibus, hepate et renibus podagricorum concretionibus a Ligero observatis. Manifeste autem hanc veritatem demon-

B 2 strant

*) Vid. Murray l. c. p. 199. 200.

**) Vid. Murr. l. c. §. 7. p. 204. 205.

***) Conf. van Swiet. l. c. p. 328. 329. Murray l. c. p. 206. 207. 208.



strant abcessus in cute orti, e quibus apertis humor lacteus scaturit postea in terram calcaream mutatus. *) Sic in eodem homine, quem arthritide laborantem ejecta per vomitum acida viridi materia, leuamen dolorum sensisse Pye refert, circa dextri pedis metatarsum tumor durus exortus est, ex quo viscida materia similis albumini oui vna cum paucis et paruis calcareis lapidibus ex medio ejusdem pedis digito excretis prodiit. Postea ex sinistro pede per trimestre spatium talis materia calcarea exiit, et postquam larga copia ejusmodi materiae fuit excreta, restitutus est aegrotus. **) Fuit etiam obseruata terra calcarea in excretis in sputo, sudore et vrina. Quid? quod in podagrigo quodam diu et misere aegrotante per totum oorpus, immo ex palpebris excreta fuit ejusmodi materia gypsea circa poros cutis mox in tophos mutata. Exempla Kerkringius, Platerus, Haenius, Sydenham et Morgagni retulerunt. Iphis etiam articulis vt compertum est, calcarea terra et nodi adhaerere solent, et de praesentia materiae arthriticae luce meridiana clarius nos conuincunt. ***)

§. XIII.

Datur etiam nexus inter articulos et renes. ****)
 Patet hoc ex sedimento vrinae arthriticorum, in
 qui-

*) Vid. van Swiet. l. c. p. 325-

**) Vid. Medicinische Bemerkungen vnd Vntersuchungen einer Gesellschaft von Aerzten in London, Erster Band, aus dem Englischen übersetzt, Altenburg 1759. p. 44 — 46.

***) Vid. Murray l. c. p. 207.

****) Conf. Murray l. c. p. 208, 209.



quibus alia calculi vrinarii signa deficiunt. Hoc sedimentum esse arenulis refertum et furfuraceum de Haen et Sydenham obseruauerunt.

§. XIV.

Eadem quoque medela in arthriticis morbis et calculis renalibus et vesicalibus instituta saluberrimos effectus exseruit. *) Abstinentia a victu animali, epulis lautioribus, animi affectibus, vsus vegetabilium blandorum et lactis, moderatum corporis exercitium non parcum leuaminis attulerunt, siue calculo siue arthritide laborauerint. Quis medicorum est, qui nesciat egregiam vim lactis, viribus plantarum ab animalibus depastarum praediti simulque animali natura imbuti, quas viri eruditissimi Sydenham, Werlhoff multique alii ad tollendam arthritidem praestantissimas esse saepius obseruauerunt. Quantam vtilitatem alcalia praecipue caustica, amara et saponacea medicamenta et experimenta Allstoni, Butteri et de Haenii cum calce viua in calculo et arthritide instituta in vtroque morbo sanando praestiterunt?

§. XV.

Non solum autem facile transit arthritis in affectus calculosos, sed etiam ad verenda transuolare solet interdum ibique effectus venereos morbos simulantes producit, quod celeberrimus Murray egregie exposuit. **)

§. XVI.

*) Vid. Murray l. c. §. 17. etc. p. 220 et sequ.

**) l. c. T. II.



§. XVI.

Ex eo autem, quod Cullen in sanguine et humoribus arthriticorum nullam differentiam viderit a sanguine et humoribus eorum, qui arthritide non laborant, aut quod nullam in iis peculiarem materiam detexerit, non sequitur, materiam nullam specificam inesse sanguini et reliquis humoribus. Dubium enim generatim est ex sanguinis inspectione indicium, neque concludere licet ea deesse, quae non in oculos cadunt.

§. XVII.

Neque multum ponderis habet illud Cullenii, quod nullum ante paroxysmum obseruetur praeter naturalis constitutionis signum; neque igitur adesse materiam posse, quae paroxysmum producat.

Primo enim mutatio illa humorum, quae ad arthritidem disponit, sensim generari videtur, ita ut hujus mutationis signa non facile possint in sensus incurrere. Diu etiam illae causae praedisponentes sine notabili incommodo ab aegris ferri possunt, propterea quod lente oriuntur, aegrique propter hocce tardum incrementum inde natis incommodis sensim assuesciant. Accedentibus autem causis occasionalibus, refrigerio, aliis diaetae vitiis, subito morbus erumpere videtur, cujus tamen seminium diu jam potuit in corpore latuisse.

§. XVIII.

Veniendum est ad secundum argumentum. Farrago hypothesium de arthriticae materiae natura
non



non impedit, quo minus exinde praesentia hujus materiae possit concludi. Quamvis medicorum de arthriticae materiae natura hypotheses quam maxime sint diuersae, *) dum alii eam tartareae et acidae, alii alcalinae naturae esse opinantur; tamen ex eo nihil nisi id sequitur, materiae arthriticae naturam medicis nondum esse satis perspectam. Neque etiam opus est omnia, quae corpori nocent, esse acidae vel alcalinae vel alius acrimoniae notae. Sunt plurima corpora, ipsaque medicamenta quae vix vllam saltem effectibus non aequalem acrimoniam produunt, quae tamen, humano corpori applicata, vehementissimos effectus producere obseruantur, hyoscyami, belladonnae, cicutae aquaticae exemplo. Vtunque igitur differant medicorum de materiae arthriticae natura sententiae, tantum tamen abest, vt ex hac diuersitate ad talis materiae absentiam concludere liceat, vt potius id, quod omnes materiae cuiusdam meminerint, argumento esse posse videatur, eorum neminem de materiae praesentia dubitasse.

§. XIX.

Concedi etiam potest, non nullas de hac re hypotheses chemicis principiis et legibus oeconomiae animalis repugnare; sed ex eo neque sequitur, dare nullam quae cum iis consentiat, neque sequitur, praesentiam materiae arthriticae esse refutatam.

§. XX.

*) Conf. Whytts Beobachtungen über die Natur, Vrsachen vnd Heilung der Krankheiten, die man gemeiniglich Neruen-hypochondrische vnd hysterische Zufälle nennet, aus dem Englischen übersetzt, Leipzig 1766. p. 130. 131.

§. XX.

Quod autem ad tertium argumentum diffensum materiae arthriticae cum frequenti et subitaneo hujus morbi transitu ex vna parte in alteram attinet, verum quidem est, nos multum hac in re, vt in multis aliis medicinae partibus ignorare, tamen non dubitari potest, symptomata neruosa et spastica a praeternaturali humore posse oriri, qui neruos partium affectarum vel aliarum partium, cum quibus illae manifestae consentiunt, irritat, quemadmodum negari non potest, podagram a tali causa produci, dum saepe subito, si remedia parti externae peruersè applicantur, si refrigerium patiuntur partes, ab vna parte ad alteram transit. Eo tempore, quo podagra e capite aut ventriculo ad pedes transmigrat, vix credendum est, materiam arthriticam, quae capitis vasa afficiebat, eo momento ad pedes transuolare. Potius in sanguine et tenuibus humoribus copiose praesens materia podagrica, cum ad pedes deriuatur, ibi dolores magnos efficit, eo autem affectus capitis aut ventriculi debilitat, et forsitan, dum spasmos minimorum in partibus his vasculorum tollit, operatur, vt in iis stagnans materia libere per ea moueri et cum omnibus reliquis humoribus corporis misceri queat. Multa etiam ejusmodi symptomata non possunt attribui materiae immediate partes affectas irritanti, sed tantummodo primas vias afficienti; vnde ex singulari harum partium cum plurimis reliquis partibus consensu multitudo symptomatum oritur, quae vel augentur, vel remittunt, vel ab vna parte ad alteram transeunt, prouti nerui primarum viarum varie afficiuntur.

§. XXI.

§. XXI.

Quartum argumentum, quod Cullen contra praesentiam materiae specificae in arthriticis molitur, quodque e diuersis ejus in diuersis partibus effectibus depromit, non destruere potest veritatem praesentiae ejusmodi materiae. Maxime autem pugnat contra Culleni argumentum, quod diuersitas arthriticorum effectuum ab anomalia arthritidis dependeat, quae, vel a constitutione subjecti, quod ea corripitur, vel ab erroribus in medela aut diaeta commissis deriuanda est. Idem etiam locum habere obseruatur, in aliis morbis, qui a materia oriuntur. Hi enim, si quando ob vitia diaetetica aut therapeutica materia recedit, aut si materia ob particularem vel vniuersalem corporis debilitatem, aut ob aliud in humoribus aut solidis occurrens obstaculum impeditur, quo minus solitos et regulares effectus exferat, insolitis symptomatibus sese manifestant.

§. XXII.

Quinto concedi potest, contagiosam materiae arthriticae naturam nondum satis experientia esse confirmatam. Superfluum etiam foret, si quis exinde praesentiam materiae arthriticae demonstrare velit. Alia exstant argumenta grauioris ponderis, quae sufficiunt ad eam demonstrandam. Insufficiens vero etiam est argumentum, quod Cullen ex nondum confirmata materiae arthriticae contagiosa natura deriuat ad praesentiam hujus materiae refutandam. Non enim sequitur, nullam materiam esse quae non sit contagiosa.

§. XXIII.



§. XXIII.

Demonstrationem praesentiae materiae arthriticae ex ejus dispositione haereditaria deriuatam erroneam esse demonstrat Cullen, primo ex eo, quod morbi haereditarii plurimi non ab acrimonia sed a singulari conditione corporis dependeant, et deinde, quod morbi haereditarii, qui ab acrimonia oriuntur, jam mature in iuuenibus et prius sese exerunt, quam hoc de arthritide obseruatur. Quod ad primam argumenti partem attinet, non statuo arthriticos morbos ab acrimonia, sed tantum a materia quadam specifica, quae a vitiata corporis conditione oriatur, deriuandos esse. Potest forsitan interdum, sub certis conditionibus acridinem nancisci, sed propterea arthritidis origo non absolute est tribuenda acrimoniae cuidam, etiamsi hoc multi medici asseruerint. Demonstravi hanc specificam materiam pedetentim vitiata humorum mixtione, conjuncta cum tono solidarum partium debilitato formari. Cullen vero ipse arthritidem morbum vocat totius corporis constitutionis mutatae. Porro plerumque morbis, quia parentibus ad liberos transplantantur, constitutio totius corporis est deprauata.

Secunda pars argumenti nihil demonstrat; repugnat enim experientiae et analogiae cum aliis morbis haereditariis ex gr. cum scrophulis, quae omnino a materia deriuantur, et tamen vel interdum filiis parcunt, non obstante tali corporis constitutione in iis praesente, quae a parentibus ad eos transit, si nullae causae occasionales accedunt. Et si etiam singulis in casibus nonnulli arthritica
dispo-



dispositione producentibus licet obnoxii tamen ab hoc morbo non afficiantur, haec exceptio tamen regulam generalem non tollere potest.

§. XXIV.

Infirmum admodum mihi videtur argumentum, quod Cullen ex eo haurit, quod hypothesis de materia arthritica sit inutilis respectu methodi medendi. Non enim est hypothesis, materiam specificam causam esse arthritidis, sed evidentissimis documentis confirmata est ejus praesentia. Non esse autem inutile respectu medelae, originem arthritidis materiae cuidam sui generis attribuere ex eo patet, quod, cum materia arthritica pederentim formatur degenerata corporis constitutione accurato regimine diaetetico observato, degeneratio solidarum et fluidarum partium pederentim sanatur, quod experientia satis superque confirmatur. *)

§. XXV.

Hypothesis de origine arthritidis ex materia quadam specifica utique multum explicat, etiamsi Cullen contrarium statuatur, idque ex eo demonstrat, quod nihil possit explicari, nisi simul adsumatur, hac materia mutari vires et organa, quibus motus fiunt. Sed nonne hoc fieri experientia docet? Et ex eo etiam patet hoc, quoniam hic morbus tam solidas quam fluidas partes afficit et mutat, quod etiam ex medendi methodo apta elucet.

§. XXVI.


*) Vid. Grant, l. c. p. 6.



§. XXVI.

Ex his, quae pro viribus exposui, patere arbitror, a materia quadam specifica arthriticos morbos esse deriuandos, etiamsi Cullen statuatur, sine ea originem hujus morbi posse explicari, modo qui magis consentiat cum symptomatibus arthriticis, cum legibus oeconomiae animalis et cum medendi methodo, cujus efficacitatem jamjam confirmauerit experientia. Sed, nonne experientia, obseruationes et principia pathologica docent materiae arthriticae consensum cum legibus oeconomiae animalis, cum symptomatibus arthriticis et cum accurata medendi methodo? Modus autem ille, quo originem arthritidis Cullen explicat, non sufficiens est ad explicandam arthritidem, cum ex momentis ab eo adductis non eluceat, cur semper inde arthritidis, nec quisquam alius morbus producat. Patet etiam ex iis, quae fuerunt exposita originem arthriticorum morborum alio modo non posse exponi, nisi eam materiae specificae tribuamus, cujus praesentiam breuibus et quantum potui demonstraui. Multa adhuc possent exponi ad vltiorem hujus rei confirmationem: sed ne prolixusiam, haec sufficiant.





EXAMEN
DOCTRINAE CVLLENIANAE
DE
NATVRA MORBORVM
ARTHRITICORVM

ILLVSTRIS AC GRATIOSI ORDINIS
MEDICI AVCTORITATE ET
CONSENSV

PRAESIDE
D. JOANN. FRID. GOTTL.
GOLDHAGEN

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE
NATURALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINA-
RIO, CIRCVLI SALICI, COMITATVS MANS-
FELDENSIS ET CIVITATIS HALENSIS
PHYSICO

PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
SOLEMNITER CONSEQVENDO
AD DIEM IV^{tum} MENSIS SEPT. c1010cclxxxvi.

PVBLICE DEFENDET
JOANNES SAMVEL LV^{ther}
VRATISLAVIA SILESIVS.

HALAE,
TYPIS CVRTIANIS.

